


1. Hunnius, Helfr. Ulr.: De monarchia ejusque officio et potestate. 1614.
2. Hunnius, Helfr. Ulr.: De amissione feudi ob feloniam vasal. 4. 1614.
3. Hunnius, Helfr. Ulr.: De successione feudali: 1614.
4. Krumbergk, Christ.: De possessionis acquisitione. 1614.
5. Grosius, Matth.: De jure sequestri: in l. Un. C. de prohib. Sequest. spec. et. c. 1. a. 2. Extr. de sequest. pro. et. fruct. cum similibus, lry. 1615.
6. Reusner, Barth.: De recusatione suspecti, iudicis. 1615.
7. Strauch, Joh.: De successione descendentiū. 1615.
8. Weinberger, Hier.: De praedicationis ingenere, et in specie de praedicatione substantiae. 1615.
- 1616, 1. ^{Berkmann} 9. Krumberger, Christ.: Disceptatio controversarum Positionum juris legalis et feudalis. 1616.
10. Lentius, Friedr.: Delineatio differentiae jurisdictionis monarchicae Romanae veteris et hodiernae. 1616.
11. Hellenbach, Ernst: De locorum affectorum, secundum Galenum, notitia. 1617.
12. Hirschbach, Welfg.: De regalibus. 1618.
13. Lederer, Mich.: Disputationem... inauguralem in l. un. C. de sent., quae pro eo, quod interest, proferuntur, petitionem... propugnabit: lry. Heidelberg. 1618.

14. Reuter, Joh.: Quaestionum controversarum materialium
testamentariam concernentium Decis VII. 1618.
15. Brunnen, Balth. a.: De locatione conductione et empty-
lensi. 1619
16. Reuter, Gottfr.: De amissione feudi. 1619.
17. Reuter, Gottfr.: De Fidei-juramento et ejus renovatione. 1619.
18. Weixelberg, Hier.: De natura et constitutione phi-
losophiae moralis. 1614.
19. Forster, Val. Wilh.: De personis feudum dantibus et acci-
pientibus. 1620.
20. Reuter, Gottfried: De triplici domesticitate, subjectionis,
et vasallagii fidelitate, ejusdemque juramento. 1620.
Fena. 1740.
21. Danneberg. Fena. 1741.
22. Bluetius, Andr. Jak. F.: De syllogismo Topico. 1621.
23. Carpzov, Konrad: Conclusionum Juris ad Institutiones
Justiniani Imp. Decis I. 1621.
24. Carpzov, Konrad: Conclusionum Juris ad Institutiones
Justiniani Imperatoris Decis 2. 1621.
25. Kimmann, Friedr.: De statu reip. monarchico. 1622.
- 1622, 15 Kremberg
26. Lederer, Michael: De servitutibus personarum, pers-
onalibus et realibus. 1622.

27. Müller, Johann : De caelo. 1622.
28. Reutter, Gottfr. : De dominio. 1622.
29. Avenarius, Joh. : De amplificatione rerum publicarum ¹⁶²³ ~~1624~~.
30. Mueller, Joh. : De conjunctionibus magnis in genere ¹⁶²³
 et de nuperrima, quae mense Julio accidit, in specie.
31. Reusner, Fer. : De cambiis, vulgo Wechsel u. Wechselbriefen. 1623. Reusner, De mutua conj. success. 1623.
32. Grocius, Henning : De alienis liberis, 1624.
33. Reutter, Gottfried : De testamentis 1624.
34. Reusner, Jeremias : De feudi amissione 1625.
35. Hinklenius, Valentin : De attributis astronomiae 1626.
36. Krumbergk, Christian : De publicis judiciis. 1626.
37. Krumbergk, Christian : De successioneibus, quae ab intestato deferuntur 1626.
38. Reutter, Gottfr. : De privatis delictis in genere, eorumque actionibus et poenis 1626.
39. Reutter, Gottfr. : De jure venandi. 1626.



ΣΤΝΘΕΩ

1613

PROBLEMA
TA QVINQVE
PHYSICA,

IN

Illustri ad Albim Academia,

Publicè proposita

PRÆSIDE

M. SIGISMUNDO EVENIO,

Navenâ - Marchico, Facult. Philosoph.

Adjuncto,

RESPONDENTE

BETHMANNO HERDESIANO

Bernburg. Anhaltino.

In Collegio Philosophorum

Ad diem 30. Januarij horis à 7. matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi 1613.

*Humaniss. & doctiss. Viro Dno M. Petro Jhnen, illustris scholae
Vestrae fidelissimo connectori praefati suo quondam calendi
rado hanc disp. physica Beth. Herdesianus, auctor & R.*



Magnifico & Nobilif-

simo VIRO,

Dn. CONRADO à

POSTEL in Seutz/ Sûsten/
& Plötzkau/

Illustrissimorum Principp.

Anhalt &c. Consiliario, arcisque Bern-
burgensis præfecto dignissimo:

*Domino Mæcanati ac Fautori suo perpetua
observantiæ studio colendo,*

Exercitium hoc Academicum, in studio-
rum suorum *τημερίων*, & grati animi, debitaq;
observantiæ *σύμβολον*

D. D. D.

Bethmannus Herdesianus

Bernburg. Anhalt,

[Faint handwritten text at the bottom of the page, likely bleed-through from the reverse side.]



I. P R O B L E M A.

An Physica sit Scientia?

T H E S I S P R I M A.



Non defuerunt, qui rebus naturalibus omnem scientiam detrahere conati sunt, è quorum numero, ut refert *Aristot 4. Metaph.* fuerunt Heraclitus & Ptolomæus, teste *Albert. tract. 1. cap. 2.*

2. Tum quod res naturales sint res interitui obnoxia, neq; eodem semper modo sese habeant; scientia autem sit rerum æternarum, & semper eodem modo sese habentium *Arist. 6. Eth. Nic. cap. 3.* Tum quod res naturales sint sensibiles, sensus autem sint singularium *1. Phys. cap 5:5. Metaph. cap. 11.* de singularibus autem nulla sit scientia *6. Eth. 3.*

3. Verum respondemus distinguendo inter *ὑπαρξιν* existentiam, quæ est singularium & individuorum, & *ἰστίαν* essentiam, quæ est rerum universalium & specierum; illo non hoc modo res naturales esse interitui obnoxias.

4. Ad secundum dicimus Physicum non considerare res naturales, quatenus sunt sensibiles & singulares, sed quatenus sunt universales,

2. Unde pro affirmativa sic inferimus: Quicquid a-

git de rebus 1. æternis. 2. universalibus. 3. subjectum
habet necessarium. 4. Affectiones reales de subjecto
per causam immediatam demonstrandas. 5. finem
habet contemplationem. illud est scientia.

Sed Physicæ talis est. Ergo.

6. Agit enim 1. de rebus, quæ aliter se habere non possunt, natura enim, teste Aristot. 2. Ph. c. 8. nihil facit frustra sed omnia finis gratia & uniformiter agit.

7. II. De universalibus. Et si aliquando agat de singularibus, tamen hoc fit vel sub consideratione universalis, vel non per se, sed per accidens seu propter aliud ratione universalium.

8. III. Subjectum habet necessarium, certum, determinatum & ab alijs omnibus distinctum, nimirum corpus naturale, quæ tale, id est, quatenus motus & quietis principium in se habet Arist. 6. Met. c. 1. t. 1. Zab. l. 1. de nat. scient. const. c. 2. de quo nulla alia disciplina agit, in eiusq; consideratione sola & tota hæc scientia est occupata.

9. IV. Habet affectiones & accidentia necessaria demonstranda, Physicæ enim teste Philof. l. 1. de cal. c. 1. de corporibus naturalibus eorumq; affectionibus agit.

10. V. In sola contemplatione acquiescit, nec ultra se extendit, docente enim Aristot. l. 6. Et b. cap. 6. de naturalibus nulla est instituenda actio. Ergo rerum Physicarum esse scientiam sequitur.

II.

Utrum detur tertium illud principium Privatio?

I. Affirmativam tenentes hæc præsupponimus 1.

Priva-

Privationem heic non esse carentiã negativam, ita ut nihil amplius sit in materia nisi sola negatio, sed privativam, quæ est ipsaabilitas ad recipiendam formam. *Hip in probl. phys. 13.*

2. II. Privationi actionem hïc non tribui, sed tanquam occasionem materiæ esse adjunctam.

3. Ex quo nunc colligimus. I. Sine quo generatio nec esse nec fieri potest, illud necessariò datur. At sine privatione generatio non fieri potest. Etgo

4. Assumptionem probamus, quia per hanc materia idonea redditur, ut priorem formam deponat, aliamq; sibi convenientiorem assumat. *Mag. in com. Phys. 1. c. 2.*

5. II. Ex absurdo, Quod si privatio non accederet, tunc duæ formæ substantiales essent in eodem subiecto, quod contra naturam esse docet Aristoteles.

6. Consequens probatur exemplo, nam quando ex ovo pullus fieri debet, necesse est, ut privatio accedat, quæ formam ovi transmutet, ut ex eo possit fieri pullus; Itaq; una forma cedat alteri.

7. Ex quibus constat privationem ad rerum naturalium generationem necessariò ut principium concurrere.

8. Nec obstat, quod *Pet. Ram. l. 1. Schol. Pb. c. 7. p. 33. & 34.* privationem vocat fabulosum somnium, fabulosum commentum, quam qui principium dicat, mortem vitam, frigus calorem appellet.

9. Et rationes si requiramus, has assignet. 1. *Quod privatio sit nõ Ens, cum idem sit quod negatio.* 2. *quod non sit salus rei.* 3. *Quod corruptionis sit causa & proinde generationis non possit esse principium.*

10. *Sed respondemus & quidem* Ad primum cum confundere ens negativum cum privativo, illud quidem principium generationis esse non posse, hoc verò optime.

11. *Ad secundum* quod illud concludat de principijs constituentibus, non vero transmutantibus, quale est privatio, quæ per se ad salutem rei non facit, per accidens tamen omnino facit, quatenus formæ introducendæ locum quasi parat expulsionem formæ prioris, materiamq; ad eam appetendam excitat.

12. *Ad tertium* respondemus per inversionem, si enim privatio corruptionis est causa, sequitur quod aliquo modo principium: Unius enim corruptio, alterius est generatio, ut ait *Aristot. 1. de generat. & corr. cap. 19.* Quod ipsum licet per accidens eveniat, sufficit tamen nobis, si modò eveniat. Nam & ea quæ per accidens fiunt, non possunt, simpliciter dici non fieri.

III.

Utrum actu detur vacuum?

1. Magna est disceptatio & contentio inter Philosophos naturales de vacuo. Quidam enim id constanter defendunt. Quidam pro puro figmento habent.

2. Quapropter Aristoteles, ut semper, ita hîc quoq; litem hanc dirimit, vacuumq; in rerum naturâ non esse sequenti bus, quas hoc loco adscribimus, probat rationibus.

3. I. In spatio uniformi nihil potest moveri, cum nec

lurium,

sursum, nec deorsum, nec ad dextram nec ad sinistram
moveatur. Vacuum autem est ejusmodi uniforme
spatium, quia omni corpore caret, & undiquaque sibi
est simile. 4. *Phys. cap. 8.* Ergo.

4. II. Omne corpus naturale ad locum suum natu-
ralem fertur, ibiq; cum est, quiescit. In vacuo nihil
tale fit, siquidem omnes eius partes eodem planè mo-
do se erga constitutum in eo corpus habent, ut ad
nullam vergere partem, imò vero nunquam quiescere
possit. Ergo. *ib.*

5. III. Nullus motus naturalis sine causâ gravi &
necessariâ mutatur. Sed gravia interdum sur-
sum contra naturam ascendunt. Ergo nullam aliam
ob causam, quàm ne detur vacuum. Minorem pro-
bat exemplis aquæ ductuum & clepsydæ. Plures qui
expetit rationes videat ipsum *Aristotelem 4. Phys. sub-*
tiliter hac de re differentem.

6. Objicitur ex *Gen. cap. 1, v. 2.* quod terra fuerit Bo-
hu, id est, vacua. Ergo aliquando vacuum fuit datum.

7. Respondemus fallaciam esse causæ, vacua enim
dicitur terra, quia 1. inculta, 2. sterilis, utpote arbori-
bus, herbis, gramine nondum exornata. *B. Gesner. in*
Gen. 1. 2. v. 2.

8. Quomocunq; enim voces illæ duæ Thohu, Va-
bohu explicentur, inquit *Magnus ille Chemnitius part. 1.*
loc. com. loc. de Creat. pag. 295. form. 8. significatur quid-
dam indigestum, rude, confusum & informe.

9. In quam sententiam eruditè scripsit subtilissimus
Scaliger l. 6. de re poet. cap. 4: Cum scribitur in sacris li-
teris: terra erit inanis & vacua, significatur id quod
ἀργόν dicunt Græci, id est, iners ac cessans ab opere,
non

non autem τὸ κενόν, quod omnino nusquam est in natura absq; corpore, nusquam vel extra vel in natura sine Deo. Hæc ibi Scalig.

10. Quod si quærat: *Cur natura tantopere abhorreat à vacuo*, putamus dicendum esse, quod contiguatio corporum omnium inter se sit maxima natura dispositio, ita ut sicut continua pars alteram sibi continuam suo motu trahit, ita contiguum trahit sibi contiguum, cum aliud corpus succedere non potest.

11. Atq; hæc corporum contiguitas est secundum naturam universi, ex virtute causarum universalium descendens, in inferiora hæc derivata, ut inde virtus eorum per hæc media gubernetur, & fiat ille virtutis contactus causarum superiorum per media corpora: Jam si vacuum esset intermedium, interciperetur illa virtus in ipso vacuo, contactus virtualis causarum superiorum.

IV.

An detur ignis elementaris?

1. Qui ignem ex elementorum numero exturbare conati sunt, his imprimis sunt moti rationibus.

2. I. ab ἀσυνταξία seu improportione ita concludunt: Natura semper extrema conjungit per media. Atqui inter cælum & ignem nulla datur proportio: Cælum enim est res purissima omnis qualitatis & corruptionis expers, ignis vero corpus ardentissimum & æstuosissimum. E. sub cælo non potuit collocari.

3. II. Ab injuria cælo inferenda seu effectu ignis: Ubi datur ignis, ibi quoq; calor & calefactio. Sub cælo datur ignis ex nostra sententia. Ergo sequitur cælum

lum calefieri, & ita corrumpi posse, quod longè est absurdissimum.

4. III. Ab absurdo. Quæ sententia frigiditatem in igne cogitur concedere, illa procul dubio est absurda. Atqui nostra sententia cogitur hoc facere. In concavo siquidem lunæ per velocissimam circulationem ignis fit frigidissimus, cum aer ibidem sit frigidus. Ergo.

5. III. A natura ignis. Ignis omnia consumit & pabulo indiget, & ita si ignis in superiori loco esset, omnia terrestria consumerentur, quod falsum.

6. Assertionem autem nostram stabilimus. 1. A quatuor qualitatibus combinationibus. Quatuor tantum sunt qualitates *συστάσεις*; Ergo etiam tantum quatuor elementa non plura nec pauciora.

7. Calidum enim & siccum constituunt elementum ignis, calidum & humidum aerem, frigidum & humidum aquam, frigidum & siccum terram.

8. II. Ab absurdo. Si nullus esset ignis elementaris, sequeretur etiam non posse fieri generationem. Sed absurdum posterius. Ergo.

9. Quia quicquid sit ex contrariis fieri necesse est, si autem nullus esset ignis, tunc duo frigida aqua scilicet & terra essent contra unum calidum nimirum aerem & duo humida aqua scilicet & aer contra unum siccum, itaque potius sequeretur corruptio quam generatio.

10. III. A causâ conservante. Ex quibus unumquodque nutritur, ex ijs quoque constat *lib. 2. de generat. & corr. cap. 8.* Atqui viventia ex quatuor nutriuntur elementis. Ergo.

11. Plantæ enim ex terra nascentes nutriuntur aquâ

B

& ter-

& terrâ, quorum elementorum proprietates cum re fractæ ac repressæ esse debeant. accedant oportet ignis & aer, quæ temperent humidum & siccur.

12. Contraria argumenta contra nos allata quod attinet, respondemus & quidem ad Primum negando tum majorem tum minorem: illam quia exempla cōtraria dantur, ubi natura extrema sine medijs conjungit, ignem verbi gratia subterraneum cum terra, sanguinem liquidum cum venis rigidis: hanc vero, quia maxima datur cognatio inter ignem & coelum: est enim ignis lucidus, est mobilis, est purissimus & parum ab essentiâ alicujus formæ abest, sicut & ipsum coelum.

13. In Secundo confunditur ignis culinaris cum sub-lunari: Ille ob mixtionem cum materia urit, non vero hic: Adde quod ad passionem requiraturabilitas subjecti, quod pro modo receptivitatis suæ recipiat, ea autem in coelo non datur.

14. Tertium ex meris falsitatibus est contextum: coelum enim motu suo frigiditatis esse causam falsum est, verum contrarium, calorem scilicet creare: Deinde falsum & illud, ignem supra montes summos esse collocatum, est enim ibi vix media aeris regio, cum ignis supra supremam sit collocatus. Denique & in hoc fallit argumentum, quod aerem in se spectatum cum eodem per accidens aliquid passo confundit; in se aer nunquam est frigidus, sed semper mediocriter calidus, ex accidente verò propter vapores ad eum sublatos frigiditatem aliquam contrahit.

15. Quartum de igne diaconico concludit, non verò de elementari.

V.

*An Luna luceat lumine proprio
vel mutuatitio?*

1. Respondemus Lunam partim lucere lumine proprio, partim mutuatitio.
2. Proprium habere hinc constat, quod in eclipsi lumine privata, & sic mutuatitium lumen amittens, tamen non tota ex oculis nostris evanescat, sed aliquando subruffa fiat, aliquando speciem mixtam ex atro & rubro præ se ferat, quos colores ex mixtione nativæ lucis Lunæ & umbræ oriri consentaneum est *Mag. in com. Phys. cap. 6. lib. 2.*
3. Mutuatitium habet lumen à Sole omnis lucis corde, fonte & vivifico coeli oculo.
4. Cùm enim congenitum habeat debilius, quàm ut nostros oculos adeoq; totam terram attingere possit, sol luce suâ adimplendo & illustrando lumen alioquin minus conspicuum clarius efficit & splendidius.
5. Unde Sol etiam in medio collocatus est, ut nimirum tam superioribus quam inferioribus astris undique lumen impertiri posset.

Τῷ Θεῷ δόξα.

F I N I S.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

F. 1. W. 1. 2.



Wittenberg. Diss., 1613/23

ULB Halle


3


002 673 304



V. 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

XXIII

ΣΤΝΘΕΩ

1613

PROBLEMA TA QVINQVE PHYSICA,

IN
Illustri ad Albim Academia,
Publicè proposita

PRÆSIDE

M. SIGISMUNDO EVENIO,
Navenâ - Marchico, Facult. Philosoph.
Adjuncto,

RESPONDENTE

BETHMANNO HERDESIANO
Bernburg. Anhaltino.

In Collegio Philosophorum

Ad diem 30. Januarij horis à 7. matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis Martini Henckely, Anno Christi 1613.

*Humaniss. et doctiss. Viro Dno M. Petro Jhnen, illustris scholae
Vesterae fidelissimo correctori pnestori suo quondam calendi
vado hanc disp. physica Beth. Herdesianus, autor & R.*